SOL
SEV PANEGYRICA ALLVSIO
DIVO BENEDICTO
DICTA

A D. Hieronymo Bendando Mon. Caſinen.

In Comitijs Generalibus Parmæ celebratis.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bononiæ Typis Io. Baptiſtæ Ferronij 1640. Super. permiſſu.

REVERENDISS. PATRI

D. SEBASTIANO SIGHICELLO

Inter Canonicos Sančti Saluatoris Abbati Præſtantiſsimo.

CIrcumiuit per aliquot literatorum manus Sol nuper exortus; qui cum eloquentia ſimul, ac eruditione renideat, viſus eſt dignus, qui etiam è typorum meorum emergat orizonte. Ecce, poſt paulò natum (Abbas doctiſsime) & tuis auſpicijs. Quàm vero feliciter! In ampliorem .n. girum excurſurus, ſui ipſius diem producet; nec ante occidet, quàm plurimi ſeſe mirentur, & forſan admirentur. Et ſi natiuas aliquas contraxerit maculas, à quibus nec ipſe Sol putatur immunis, addito ſibi tui nominis ſplendore, totus fundetur in lucem. Perſuadebar vt tibi hac lumina dirigerem, quod

humaniorum literarum æquè celebraris, vt cultor, ac ſacratioris ſapiētiæ cōſultus. Noui etiam Auctorem tui obſeruantiſſimum, quem cum ſæpè Collegam tuum audiueris, vel in tradēdis Theologiæ laureis orantē, vel edocentē in Cathedris, vti tibi ſimillimū, cognitus es mutua dilectione venerari. Quomodo dubitaſſē ergo, ne eius ſcripta libenter legiſſes quem vnicè colis? Addo hoc mei in te monumentum obſequij fuiſſe opportunè vulgatum, ne ſuſpicatus eſſes, me, meoſq; qui Illuſtriſſimo Patruo tuo Epiſcopo Fauentino dudum inſeruire cæpimus, & tibi ſucceſſiuè multoties, in nimia officiorum dilatione defeciſſe. Si votum hoc meum, veluti reuerentiæ ſignificationem accipies, fiet vt ad maiora offerenda diſponar. Vale.

Paternitatis tuæ Reuerendiſſ.

Deuinctiſſimus Seruus

Io. Baptiſta Ferronius.

POSSEM fortaſſe plenius vobiſcum impendere gratulationis officium N N. quòd hactenus tot itinerum labores emenſi, hùc tandem aduentaſtis incolumes celebraturi Comitia. Imo verò peropportuna mihi laudandi vos offerretur occaſio, ac paria laudationis argumenta ſuppeterent, ſiuè veſtram rei monaſticæ politiam, ſiuè cum moribus doctrinæ concentum, ſiuè denique animos veſtros varijs locorum interſtitijs nuper abiunctos, nunc vnanimi ardore hìc in veſtræ Congregationis regimen conſpirantes commemorarem. Hæc enim omnia, vel etiam ſingula perluſtrare diſcurſu, inuidendum laudis veſtræ foret encomium. Atqui, SOLEM, quem propoſuiſtis hodie ſuſpiciendum ac cōmendandū (BENEDICTVM inquã) & mihi erit intueri perarduum, & condignis venerari præconijs, prope impoſſibile. Etenim habetis oculi inſolitus auſus, irritusque conatus eſt velle mirari Solem defixis palpebris, quem cum ſolùm conniuendo ſuſpectet, verius inuiſum ſpeculabitur, quam viſum. Si SOLEM obieciſtis, cur rogo illi noctuam admouiſtis, cui grauius eſt nihil, quàm Solis ſuſtinere conſpectum? Perinde quaſi deeſſent huic Ioannis Euãgeliſtæ Cænobio Aquilæ, quæ viuaciori oculorum acie ſuum Solem aſpicerent? Aut forſan Florentiſſimi huius Parmenſis literarum viridarij verna feracitas heliotropia non tulit, quæ abeuntem quaquaverſum Solem ad occaſum vſque ſympatico comitentur intuitu? Quid ergo ſeligere floſculum, qui incaleſcente meridie flaceſcit ſtatim in veſperali defluuio? Quò ſpectat veſtrum iam penetraui conſilium. Mihi hanc ideo prouinciam demandaſtis, vt in quo nulla ſublucet dicendi perſpicuitas, eiuſdem in opacitate ſtili, atque duritie

ſplen-

ſplēdeat magis oppoſiti radij reflexū lumē. Sic etiā in appēſa graphide EXORIENTI SOLI FVGANDAM cõſociaſtis, & NOCTEM, vt per vmbrarū receſſus lux euibrata ſplendidius niteat in facie tenebrarum. Sit vt vultis: ſaltem, vt hunc SOLEM exornem, non eſt opus mihi lumina laudum aliunde mutuari, neque adſcitos emendicare fulgores, cum ingeniti, cum proprij ſatis hic, ac ſuperabundent.

Quàm appoſitè Planetarum principe Patriarcha noſter exprimitur? Sit ſanè Sanctorum cuilibet decus ſuum, & laus: non video tamen, quiſnam cœnobitarum æquiori lance comparandus ſit SOLI, quàm Benedictus. Nec Benedictus potuit exemplari alio ſimilius configurari, quam SOLIS. Vtriuſque attributa Principatus, neceſſitas, ſplendor, vnitas pari tenore concordant adeo, vt, quod eſt SOL inter aſtra, inter clauſtra idem ſit Benedictus. Sine Sole dictitabat Heraclitus noctem in orbe fore perpetuam: de Benedicto idem ille, qui ante purpuram etiam viſus eſt hiſtoricorum Eminentiſſimus Baronius, inquam ita teſtatur. *Tempore, quo vniuerſa Italia, Gallia, Hiſpania, atq; Africa à Gothis, & Vvandalis Hæreticis Arianis poſſidebantur orienſq; pænè totus eſſet infectus hæreſibus; in tam terræ noctis obſcuritate, denſaq; caligine, eiuſmodi claritudo lucis effulſit, quam vniuerſus Catholicus orbis illuſtraretur.*

Funeſtabat vniuerſum NOX atra infidelitatis, lumen fidei iam vel occiderat occiſorum ſanguineo merſum Oceano, vel plurimorum ſuperſtitum perfidia tenebrabatur. Charitas ipſa, quæ ſuis facųlis lucis poteſt eſſe ſubſidiū, aut cum fidelitate habuit communem occaſum, vel ſi qua ſcintilla ſupererat, in illius NOCTIS algore luminis plerūque perpeſſa deliquium extinguebatur. Trepidabat ele-

cto-

ctorum frequentèr tentata fiducia, dum in nocturno ſilentio, cum cęteris rebus reticeret quoque prædicationis eloquium. Nox quæ vigilantibus ſolet eſſe moleſta, moleſtior reddebatur ob metum; terrificæ namque Tyrannorum laruæ, horrendiq; lictorum aſſultus, trepidantes vel detrudebant ad ſpecus, vel Idolorum cultui curuabant vti triumphata mancipia. Omnino ſuo deflorata nitore ſquallebat Eccleſia, perinde ac Catholicorum ſol extremum ſuæ lucis diē obijſſet, aut inter errorū hæreſumq; caligines delituiſſet illumis. Sed ecce ſuſpirati SOLIS INSVETVS ORTVS (Dixiſſes) ſicut poſt diuturnam Cœli procellam, productamque plus nimio noctem SOL quam alias opportunior exoritur, ità deplorato ſæculo. NVNQVAM OPPORTVNIVS poterat concedi luminare præſidium.

Fuit Nurſia noſtri SOLIS felix Orizon; cuius natalitius ſplendor extitit adeo clarus, vt illi laudem non ſecus, ac ſoli lumen erogare ſuperfluat. Narraſſe ſufficiat ex illa familia traduxiſſe cunabula, à qua ſimiliter ſe prognatos Imperatores multi, ſuæ domus primarias inter glorias enumerant. Itaque imperium ipſum nihil illi eſſet vltra ſplendoris allaturum. Vbi verò primùm huius SOLIS crepuſcula ridere cæperunt manè pueritiæ; quale tùm auſpicatum ſpecimen ineuntis diei? Sequebatur aurora virtutum omnium illuminata ſplēdoribus; & quidem fides puriſſimo rutilabat albore, pellucidis ardebat facibus charitas, & immaturæ innocentiæ infantes adhuc radij fulgurabant. Quo excreſcet hæc pueritia? qualiſque illius in virilitate meridianus feruor, ſi tale ENASCENTIS SOLIS MATVTINVM illuxit; ſpectabiliores in ætate tantilla, quæ voluptatibus propenſior indulget, quàm in ſenectute virtutes: ſic etiam Sol eſt in oriente pulchrior, quàm dum vergit accubiturus in veſperas.

Vix

Vix autem in ephebum euaſerat, cùm Romam, vt iuuenilis ætas liberalibus ſtudijs informaretur; adiuit. Reor ad Vrbem properaſſe, vt illò lætiſſimum diem ſui ipſius Lucifer ipſe deportaret, ac Orbi toti futuræ ſerenitatis conteſtaretur auſpicium. Ibidem immorans, quantum per illam licuit ætatem, inter cætera hoc etiam didicit, multos per ſtudiorum callem obliquato progreſſu vitiorum ductos in lapſum, & in ſcientiarum quæſtu probitatis pauperiem contraxiſse. Ille tamen inter ſcurrile iuuenum ſodalitium, nullo internarum ſordium dehoneſtamento maculabatur. Ne miremini (Auditores) ſimiliter SOL ſuper calcato cęno nulla conſpurcatis alluuie, ſed impollutis radijs expatiatur. In grammatico ſtudio per declinationes vitiorum eruditus eſt, quo tramite ad veræ ſapientiæ faſtigium deueniretur. Poſt habitis propterea ſcientijs, vel illis, quæ errorum obſcuritati miſcentur; vel quas fuſcata morum turpat obſcænitas, vel quæ tumidi faſtus inumbrantur fuligine, ad illam ſuſpirauit doctrinã, quam omnibus depuratam nubeculis docemur ſolùm à Patre luminum inſpiratam. Romanam ergo frequentiam ſublacenſi ſolitudine commutauit, & à Gymnaſio properus feſtinauit ad antrum. Veſper tum Romuleam plagam inopacauit, à cuius emiſphærio tam fulgidum iubar abſceſſerat.

Sed quò te vertes Benedicte? ad Eremum? Prærupta igitur ſine cliuo ſaxa petes, humano forſan nondum impreſsa veſtigio? Caucarum ergo ſpelæa, ſolitarios cautes, in hoſpitas ſpecus ciuilis hoſpes habitabis? Nec frequentiori commercio aſsuetum animum abſterrebunt cryptarum illa ſepulchra, vel ipſis perhorrenda feris? In hoc etiam SOLIS æmulator appares; vt enim enaſcereris illuſtrior voluiſti quaſi occidendo peragrare ſub terram. Admitte

mitte ſaltem me ad vſque deſertum tibi comitem, relaturum indè ſacri ſpecus conceſſos honores.

Ad Sublaci tandem latebroſa montis deuenit, quæ, vt tanti ſyderis fuerunt acceſſu dignata, cum æthereis campis de claritate iure contenderunt. Quæ pietatis exercitia cogitatis ibidem triennali ſpacio peracta? continuata ducebatur oratio, ſola ad ſeueriores cruciatus diuerſione discreta. Habeat licet coronam gloriæ martyrium, & inter cruentas manus in fata cedere ſit ad monumentum laudis; breuiuſculo tamen vnius horæ tempuſculo agon absoluitur, quia tarditatis impatiens Tyrannorum immanitas intempeſtum extorquet debitum mortalitatis. At in ærumnali vita diutinum ſibi ſupplicium viuere, eſt longè maius dignitate martyrij. O quoties imaginor Panigyriſtæ noſtri intra conuallium ſinus Dei decãtatas laudes in Cœlorum concauis Echo formaſſe: atque ad illos telluris hiatus Angelorum traxiſſe choros: ibique cæleſtes cãtus modulis immiſtos humanis? Quoties turmatim aduenisſe Seraphim, vt nouum forſan genus amoris ediſcerent? Vt diuini amoris incendio conflagrantis hominis mirarentur ardores? Qualis verò tum Principis tenebrarum inuidus furor, qui perſentiſcebat, ſuum Regnum deſolatum iri ad mox futurum noſtri SOLIS ORIENTEM? Arte fallendi periciſſimus hoſtis technas omnes, inſidias omnes moliebatur, omnia ad dolos, ad fraudes cuncta conſtruebat, vt lucidioris ætatis prodromum hunc quomodocunque obnubilaret. Proinde illorum criminum labes excogitabat, quæ præ cæteris ſolent in obſcurare peccantes: ad impuræ, inquam, carnis ſcelera ſtygius leno confingebat allicia. Non tam enim nubila Cœlum, nec tam caligo Solem, quàm libido mentem obumbrat. Adfuit demum per illa ſolitudinis amica ſilentia peragranti

incolæ vaferrimus hoſtis, & fœmineæ ſupra ſtuporem efformato venuſtatis idolo, intemeratum animum pellicaturus exagitauit. Indixit crudelius bellum obiecta mulieris forma quondam ab illo quidem inſpecta, deſpecta tamen, quæ ac ſi ſuum eſſet vindicatura contemptum poſcebat propriæ ſpeciei idololatram; quem antea eiuſdem ægrè viderat contemptorem. Athleta noſter de hoſtibus triumphare ſolitus, ab vehementi cogitationis impulſu concuſſus eſt. Oculis illius ferarum ſolum gnari conſpectuum recreabantur inſolentis formoſitatis mentali præſentia; & incipiebat appeti conſors peregrina, quaſi ad ſolitarij profutura ſolatium. Quantum heu! heu quantum robur ſexus infirmioris valet, quem fortiori marte hoſtes non potuerunt, amica puella debiliori Venere expugnare. Collidebat Benedicti mentem infandæ voluptatis cum caſtitate conflictus, hinc ſanior Diuinorum charitas, inde veſana eluctatura cupiditas adſtabat; vtrinque feruidè pugnata dimicatio. Inter ancipitem monomachiam mens agitata, modo illecebroſas exaudiebat inſtãtias, interdum inuicto moderata conſilio pendentem corrigebat aſſenſum. Procax tamen ſpectaculũ importuniùs ſe ſe in proſpectum inſinuauit, & petulanti lenocinio ferè dementatum ſeduxerat. Mundus tunc profugum, ac deſertorem ſuum reuocabat inſtanter, ſeque mox recepturum fidebat, vt ciuem, quem nuper conclamauit extorrem. Et qui dudũ ab vrbanis otijs ad ſilueſtres ærumnas promptus acceſſerat, è poſtliminio ad mollities Vrbis redux meditabatur aduentum. Noſtis vt fumidæ libidinis flammæ poſſint puritatis caligare candorem? Et cœleſtem amorem fœmineæ fœdæ impudicis halitibus contemerare? Ea nimirum forte, qua SOL poſtquam adoleuerit excitatis ſuo calore vaporibus ſolet offundi, qui ab

eoîs tractibus clariſſimus viſebatur. Erat iam iam agoni ceſſurus, & blandientis illuſionis venturus in deditionem, dum qui pro agonotheta reſederat Deus luctatori ſuo auxilio ſuccurrit; Illo auxilio, quod frequenter militem in lucta deſerit, vt innatæ debilitatis admonitus, fateatur ſpiritales nequitias ſuperno ſolum ſuperari iuuamine.

Poſtquam cœpit ſuffultus animus carnis præualere conatibus, arbitror illum tùm ſibi nupertimè à ſe ipſo degeneri hæc ſugillando exprobraſſe. Itane verò parum duraui charitatem, vt ab illa deſciſcerem in molles affectus? Non pudebat ergo iuratæ caſtitatis non ſtare decretis? miſerum me propè fuit, vt adulationi concederem voluptuariæ Sirenis, quæ auditorem ſuum primo complexata congreſſu dedit naufragio. Neque vigiliæ, oratio, inedia, & id genus torſiones potuerunt æmulæ meæ ſæpius correcta fræna moderari? Et hos inſultus feram inultus? Depereat caro magis, ſi ſemper rebellatrix ſpiritus detrectat imperium. Vix hæc obiecerat, dum ad vicinos vepres ſe conuertens, carnalis iniuriæ teſtes illos, ac vindices inclamauit. Nudus inde ſe in ſpinarum ſagittas iniecit præcipitem, credo, vt pudicitiæ roſa non defrondaretur tam peruia luxurioſæ cantaridi, ſed inter præſidiarios dumos incorruptior aſſeruaretur. Excruciabiliter admodum læſus à ſentibus, illæſus reſtitit cupidinis iaculis, amoreque in dolorem degenerato, confeſſus eſt, plura ſpicula, eademque acriora dumetum euaginaſſe, quàm cupidinis pharetram. Voluit totum dilaniare nudum corpus, vt totum pudici cruoris decor circumueſtiret, neuè aliqua illius particula ſe iactaret inuictam. Martyrij corona ſolum caput redimire conſueuit, toti corpori Benedictus vrticarum ſerta contexuit; vt intelligeres, neſcio quid glorioſius eſſe martyrio tot vulnera, quæ morti multiplicatæ

 ſuf-

ſuffi:erent. In ſe ipſum his impietatis officijs piè ferociuit, aſperiorem quoque lanienam nouaturus, niſi malè ſuada ſenſuum procacitas laſciuire deſtitiſſet. Vah ſubdola caro, quæ tuis ſtimulis agoniſtam noſtrum compungebas; tunc certè mille confixa mucronibus tabeſcebas inglo-ria, & in rogo, quem alij paraueras ipſa torquebaris exuſta ſpinarum ardoribus. O glorioſa ſpineta, quæ ſacro irrorata cruore in roſeas coronas effloruiſtis ad triumphũ aptiora, quàm palmæ, quàm laurus? Venereas faces extinxiſtis veſtris incendijs: veſtri cuſpides Cupidinis obtuderunt acumina. Sauciaſtis equidem, at vero ſalubriter; & quò magis exanimaſtis corpus, eò reuixit vegetior animus. Interijſſet Benedictus, niſi vos inter diſcerptus totus occubuiſſet: niſi febricitantem luxuria ſanguinem tot ſectis venis depuliſſet, & eius vicibus purgatiores ſpiritus, qui ad vitam magis conferunt ſucceſſiſſent. Neque ſplendidius vti SOL vnquam enituiſſet, niſi intra Rueti conflagrationes libidinis etiam fumus euanuiſſet. Hìc SOLI ſimillimum vobis Benedictum oſtendo, modò ſtabiliendæ fidei poeticum non refragetur inuentum. SOL (Apollo inquam) Pythonem ſerpentem horrendum, vel (vt veriùs dicas) è putrefacto ſolo vaporem, qui ſurſum nimbos euomens ſibi minitabatur occaſum, ſuis radijs, quaſi ſagittis inflictis transfodit, ſiue (ſi mauis) calore conſumpſit. Minus eſt, quod de illo finxit Antiquitas, eò quod hic pugil illuſtris peregit. Non ſanè imaginarium, ſed indomitum verè Monſtrum (carnem loquor) innumeris dilacerauit aculeis. Vnde Pauſanias, & Pindarus hìc Pythia certamina honeſtius concelebrarent, ac glorioſiores, quàm ex Eſculo, vel Apio Apollini meo coronas attexerent.

Succurrit modo Auditores, quod oblitus omiſeram; quare voluptuoſæ Veneris domum SOL noſter non eſt

ingreſſus? ſcitis quare? quia probè ſciebat Solarem quoque Planetam domi Veneris ſuæ virtutis iacturam facere, ac luminis ſubire decrementum. Auſteritatis potius, interruptæq; pugnæ cum hoſtibus proſecutus eſt curſum, quouſq; in altiori meritorum ſigno conſcendens luminoſæ ſanctitatis incrementa ſuſciperet. Non ſecus ac cum pugnacis Martis manſionem SOL intrat, vigoris inde plenius reſumit augmentum.

Sed nunc iam ſentio imminere meridiem, quippe cum defixis oculis benedictinos intentior ſplendores intueor, in torrida a veluti Zona nimietas luminis ſuſpectatis imburit acceſſus. Referunt poſt ereptam è cogitatæ mulioris manibus victoriam, triumphalis currus ita ſtitiſſe rotas, vt poſt hac in caſus non ſint prolapſæ periculum, ſed vt in meridiano ſolſtitio, ibi permanſuras æternum. Putarem exinde diuinum hunc Phębum ſanctimoniæ luculentius lumen effudiſſe, SOLIS quidem ad inſtar, qui defluẽtibus in imbres nubium deuictis turmis, profuſiorem lucem ad remotiores partes victorioſus amandat. Hoc indubiè ſignificatis in ſtemmate, in quo ruere cernimus ELIMINATAM NOCTEM, contractaſque ad confinia lucis VMBRAS aperire diei locum. O' quot illud meridiale fulgetrum longæ deſidiæ indormientes ad vitæ vigilias exciuit! Quot accidiæ letargo preſſos, vitiorumque oppletos angoribus (morbi .n. ingraueſcunt nocte) pietatis calore refecit, releuauit. Imò quot interceptos iam morte viuacitati reddiderit aperirem, niſi inde etiam aperirentur ſepulcreta in aſpectus veſtri faſtidium. Obſeruate ſaltem, cuius virtutis eſſet non ſolum viuificæ, ſed etiam acceſſentis, attrahentiſque, cuius ſimilem in Rege ſyderum demiramini Maurum, Placidumque Quirinales Dynaſtas à parẽtum vlnis auulſit adhuc impuberes; tunc

porrò cum cariori teneritatis amplexu captiuos teneret amor genitorum. Quis dum Benedictum Maurum inter, ac Placidum vidiſſet medium, non dixiſſet, Sol eſt in Geminis? Et quis nam dum Benedicto iubente, currenti per flumina Mauro, præſtari ſiccum inſpexiſſet obſequium, non miratus exclamaſſet, ecce radius Solis? Cumq; Maurus ad Gallos, ad Siculos Placidum audiſſet delegatos, vtrumq; vtroque Regno Chriſti pacem prænuntiaturum, ecquis nō indicaſſet illos, vt geminatam Iridem aduerſo Sole virtutum mille coloribus perornatam? deficeret prius hic dies, ſi eiuſmodi vellem connumerare viros, quos ſibi vti SOLI ſocios adiungens fecit catholici firmamenti lucidas ſphæras, vel (niſi repugnetis Aſtronomis) ſui ipſius ſatellites, ac laterales ſtellas.

Dudum à Delis, & Delphis ad caſtrum Caſſinenſe cultum Apollinis tranſtulerat cæca Religio, ibiq; putati numinis ſtructa delubra iniquo ritu excolebantur. A Sublacenſi iugo vidit (ecquid non videat SOL oculus Mundi?) odorato thure competitori ſuo aras halare, quibus ſuperſtitionis nigrore vicinia tota fumigabatur. Non tam per hiemem caligantis noctis conglaciantur vmbræ, quàm vbi adoratus Apollo irradiabat, ſuo namq; lumine cum oculis cæcauerat corda litantium, & ad ſui præſentiam dies nunquam, nox ſemper infidelitatis incubabat, obſcuriores etiam tenebras emiſſurus cymerijs vmbris. Irridenda ne hæc, an miſeranda fidelitas, quæ cęcutit in lumine, errat in Sole.

Tantam peroſus impietatem eò venit ocyſſimè, eruptique ſui indignis deſtructis fanis, digniſſimo numini templa conſtruxit. Videlicet, vt ſe veræ lucis certiorem Phœbum, clariorem SOLEM factis aſſereret. Neget qui poteſt BENEDICTVM tanquam SOLEM turbido ſeculo

na-

natum, dum nec Phæbus ipſe differetur, qui tum ſ æ lucis diminutam gloriam indoluit; & quod Benedicti non etiã es quidem, ſed vix ymbra eſſet operta facie impallute.

Quid A. vlteriora argumenta diſquiritis? Addam quod refert Eſch.les, cui tota conſentiens ſubſcripſit vetuſtas, Apollinem è Tripode dare petentibus reſponſa ſolitum, & vt diuinationis magiſtrum ſcrutatoribus reuelaſſe ventura; Cui etiam dicatum cycnum, qui ſui obitus diei præſagus præmittit ſuis funeribus harmonicam parentando lætitiam, ac ſi grátuletur ſibi tranſactæ vitæ malorum euaſiſſe frequentiam, vel ſperet felicioris mortis ſe perfunctorum ſolamine. Sed hæc incredulæ ſunt credulitatis ſimulata mendacia, quæ præſtigijs ænigmatum fidem illuſerunt infidam. Phœbus noſter Propheta veracior, qui nunquàm fuit fallaciæ conuictus, niſi cum falleret ſpiritales hoſtes: Totilam alioſque teſtor, quibus futura cuncta diuinauit ad punctum, ſuiq; decubitus ſtatam horam in Cycni modum præcinuerat. Vnum adhuc attendite (Domini) & ne viuam niſi almum Patrem SOLIS ideam eſſe deieretis. Duodenas ſibi ſuiſq; domos erexit; non hoc ſolum puto conſilio, vt omnia miſericordię opera ſe feciſſe monſtraret, quæ bis ſenario numero concluduntur, ſed vt ſolem videretur imitari, qui & ipſe in Ecliptica per duodecim ſtationes inerrans ſuis circulis regit Vniuerſum. Quis autem neſciat ab illis ædibus vti ab artium ſcientiarumq; omnium ſeminarijs proueniſſe viros, qui eccleſiaſticum orbem gubernarunt, & ſæcularem? Non recenſebo cuicunq; notiſſima. Nec expectetis Herois mei extructos laudum aceruos; non id meditabatur animus; nec munus Encomiaſtæ ſuſcepi. Et Benedictus hoc quoq; habet cum Sole commune, vt ſicut non

inſpi-

inſpicit ſolarem globum, quin oculus obſtupeſcat, ita iſtius affluentia laudum æquè audientium aures, ac enarrantis mentem ſtupor inuaderet. Sed quid amplius ſimilia proferam? Si SOL è terrenis viſceribus puriores ſpiritus ſuſtollit ad æthera, vt in aere quoq; cometarum Cælum efformet, Quot terrenos affectus hominum Monarcha noſter cæleſtes tranſmutauit in ſpiritus? Quotuè beatorum Empyreo fixit animatas ſtellas? Ille dicitur dux aſtrorum, & Princeps, quia illorum quodcunq; luminis maieſtate præcedit. Quis eat inficias, Principem Cænobitarum Benedictum, qui in occiduis hiſce plagis longiſſimo temporum interuallo præfulſit cæteris? A SOLE ſuam reliqua ſydera lucem mutuantur. Non aliunde inſtituti ſui rationem, ac typum, quàm à Benedictinis legibus ſumpſerunt clauſtrales alij. Fontem lucis vocabat Solem Heraclitus; Quid ni appellem ius Sanctiſſimum Patrem inexhauſtum fontem; à quo plurium Congregationum corriuantes riuuli fidelium campos fæcundant vberrimè? Nominant pleriq; Solem cor Cœli, quod illius teneat medium. Et vos proportione iuſtiori Benedictum Eccleſiaſtici corporis Cor nuncupabitis, ſi recordemini ab ipſo (veluti à corde ſpiritus) plures enatos Alumnos, qui omnia Eccleſiæ membra multis ſeculis direxerunt. Monarchæ titulo permulti Solem honeſtarunt, quòd vni illius regimini iniungatur cura mortalium. Perluſtrate vos animo oras Terrarum omnes a naſcentis Solis cunabulis, vſq; ad illud, in quod cadit ſepulcrum, & reperietis plurium Regnorum intra ſua clauſtra recepiſſe Reges, vel è Clauſtris Reges cum fœnore reſtituiſſe Regnis, aut de Mundi Imperij pluries prouidiſſe Vicarijs. Ad ſummum accedat nouus Archimedes, & per pœnitiores Cœlorum ſinus aberret curioſius noua Solis voca-

bula veſtigaturus: Item eadem vos tanquam ſibi propria magis in numerat, habere Benedictum inuenietis.

Verum tamen fateamur N. N. & ſua concedamus vtriq; diſcrimina. BENEDICTVM, & SOLEM, vſq; huc per mutuam nominum, proprietatumque communicationem expreſſimus, quos tamē in his diſcriminatos agnoſcimus. Noſtræ ætatis Aſtronomorum occulatiores, maculis recenter inuentis, quibuſdam quaſi vmbroſis neuis faciem Solis deuenuſtatam euulgant. In Benedicto inuidia ipſa nihil notat erratum, quod probris queat inceſſere. Liuor ipſe, cui genuinum eſt maledictū noſtrum SOLEM vocat BENEDICTVM. Sol ſemper recidiuus non oritur, quin pergat ad caſum luminiſq; vices ſempiterna lege variando ſæpè ſe reperit in Eclipſi. Benedictus altum Cæli meridiem conſcendit occaſurus nunquam, nullaq; ſeculorum peracta ſerie eclipſandus.

Hic tandem oculos cogor deijcere, quoniam penitus à vehemēti fulgore ſit hebetatus obtutus. Si viſus ſum vobis clariores Benedicti ſplendores, nec vidiſſe, nec oſtendiſſe videndos, defectus meos excuſat Chryſippi parœmia; ea eſt, vt minus videatur Sol, quo magis videtur, quia verè aſpicienti ſubripitur, & cum ipſum tibi comprehendiſſe videris, ſentis ſe à poſſidentis comprehenſione deducere. Si obſcuro ſermocinabar alloquio: quid mirum? in facie Solis nihil afferri poteſt, quod ſplendeat. Si Primatem noſtrum vti ſpirantem Solis ſimulacrum non pingebam: & vnde vidiſtis vos, vnquam in obſcuritate ſermonis, elucere colores eloquentiæ? Sufficiet mihi ſi atrore diſcurſus adumbrauerim, imitabar .n. illius ſtēmatis exemplum, quod ſicut tenebrarum oſtendit, cum LVCE conſortium; ita ego ſplendidiſſimum Patrem vmbratili narratione ſimulaui.

Hacte-

Hactenus vti cicada Solis excitata calore perſtrepebã; nunc quia confuſionis NOX mihi mentem infuſcat, & oculos, ſtridentes voculas ſuſpendo. Mox verò canoræ magis huc aduolabunt luſciniæ, quæ æquè per SOLIS æſtum, atq; per NOCTIS vmbras, ſuauioris artis gratioribus modulis cantabunt.

V. D. Ludouicus Modronus Pœnit. pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Card. Archiepiſc.

Imprimatur. Fr. Io. Vincentius de Gárrexio Lect. Theol. Vic. S. Officij Bonon.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA